

IACOBVS COEPORINVS HELVETIVS.



Acobus Tiguri apud Heluetios natus, & in omni genere literarum educatus est. Is cum prima rū dimenta artiū didicisset, Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ lingue magna diligentia incubuit, atq; etiam Ingolstadij Mathematicis disciplinis operam dedit. Itaq; factum ut in ijs studijs magnam sibi eruditio nem compararit, atq; apud doctos notissimus fuerit. Scripsit is doctissimū Græcæ Grammatice compedium, quod postea in omnium ferē studiosorum manibus fuit tritū. Hesiodi quoq; Georgicon scho lijs illustravit, atq; obiter Græcorum carminū rationem reddidit. Adhac epigrammata quædā lepidiora Græca composuit. Extant etiam eius Scholia in Dionysij descriptionem orbis, & in Arati Astronomicon, quæ Basileæ sunt edita anno 1523. Cum hoc modo Iacobus Tiguri linguam Græcam explicaret, optima studia singulari industria adiuuaret, atq; suum nomen ob præclaram eruditionem ad posteros transmitteret, tādem magna literarum iactura obiit, & honorificè terræ mandatus fuit. Conrad. Gess.